

**Valahfridus (Wilfried Stroh):
De laudibus pedifollii**

De laudibus pedifollii¹ dicturus sum. Num hoc necessarium, non potius ineptum uidetur? Cum ludus ille pedifollii tot lusores, plures etiam spectatores et admiratores habeat? Quid? Hodie uesperis nonne paene dimidia pars orbis incolarum spectatura est certamen id pedifollii quo Brasiliani et Germani inter se de praemii aurei spe pugnabunt. Non uel hoc iam satis laudis est? An quisquam sana mente audeat obtrectare ludo, quem nos Germani iam regali nomine dignati sumus, ut *Rex pedifollis* („König Fußball“) appelletur. Quin omnium lusorum notissimum, quamquam nunc iam uetulus est, uulgus etiam *Franciscum Caesarem* („Kaiser Franz“) nuncupare consuevit. Periiit olim apud Germanos Caesarum monarchia, superest podarchia.

Ergo iam mutabo consilium meum, ne Mineruam Athenis, Herculem Spartaee laudare uidear. Non laudibus celebrabo illum ludum, sed potius causas aperiam, cur ille tot laudibus celebrandus esse uideatur. Neque enim omnes qui hodie teleuisoriiis suis inhiabunt, ut spectent, quid Lahm et Boateng defendentes, quid Mueller Kroos oppugnantes effecturi sint, satis norunt, quas uirtutes et eas quidem e parte occultiores pedifollium illud habeat. Nec tamen nos decet quasi stupidos rem admirari, quam non intellegamus. Animos igitur attendite!

Ac primum quidem incipiamus ab ipso folle, quem etiam *globum, sphaeram, pilam* dicunt, sed usu magis receptum est *follem* appellari. De quo olim Iosephus siue Sepp Herberger grauissime, si non ornatissime, dixit: „Follis rotundus est.“² Quam breuiter, quam sapienter! Nemo melius potuit. Ego id tamen uerbis paulum accuratius dilatabo et follem dicam ita esse rotundum, ut ex omni parte aequalis et temperatus sit. Quis nescit? At si quaesierim e quopiam, quaenam huius rotunditatis causa et ratio sit, responderit fortasse, id factum esse, ut follis fieret uolubilis i.e. facile huc illuc uolui posset. Non is quidem erret, sed altius latentem huius rei causam non uidet. Follis, quia sphaera est, formam habet orbis terrae, qui et ipse uolubilis est, cum singulis diebus semel sese reuoluat, et idem uno quoque anno circulari cursu circa solem uoluetur. Nec solum orbis terrarum rotundus est, sed etiam totus mundus,³ qui non minus uolubilitate gaudet, quia Deus ipse qui et orbem et mundum fabricauit, hanc esse formam omni numero perfectam iudicabat. Certae sunt leges, quibus Dei iussu mundus mouetur. Certae leges sunt etiam pedifollii, quas qui laesit ab arbitro, quasi is deus in campo sit, iure punitur.

At contra dixerit aliquis: „Si mundus certa lege mouetur, follis tamen ipse minime certissimas leges sequitur, sed uariis motibus, ut quisque pulsauerit, huc illuc paene fortuito iactatur. Cogitemus uel hoc nobiscum: En Manuel Neuer ianitor fidelis Germanus follem inde a sua ianua longe propulsat, ut etiam lineam mediam non nihil transgrediatur. Tunc scilicet Manuel sperat futurum ut follis aut a Schweinsteigero aut a Khedira excipiat, unde impetus in Brasilianos fieri possit. Sperat ille quidem, sed eheu uerendum est, ne Ludouicus Gustauo aut alius e Brasilianis follem in ipso cursu intercipiat impetusque ille retorsus agatur, qui aegre

¹ Oratio habita ad discipulos parentesque Gymnasii Josef Hofmiller Frisingensis rogantibus eis, qui illic Latine docent et *Ludos Romanos* instituerunt die 8 m. Iul. 2014, tribus horis antequam Brasilia et Germania inter se folle pedibusque certauerunt. Cuius certaminis exitum omnibus uotis feliciorum tum ne sperare quidem poteramus. – Pro *pedifollio* multi dicunt *pediludium*, nonnulli *sphaeromachiam*; sed usitatissima sequi iuuat. Cf. de his omnibus, quae ad pedifollium spectant, P. Caelestem Eichenseer, *Latinitas uiua – pars lexicallis*, Sarauiponti 1981, 157-160.

² Scriptor in *Ephemeride meridionali* (SZ) sic me dixisse rettulit: „Pila circuitu est“.

³ Id iam uidit Lucius simius in Michaelis ab Albrecht fabella romanica, quae inscripta est *L. Simii Liberatoris Commentarii*, 1989 / 2004: Spectabat ille (sc. simius) in teleuisorio *pusillum quoddam uirorum genus currentium et sphaeram nescio quam sectantium*. Deliberanti denique simio *manifestum erat sphaeram illam nihil aliud esse nisi mundi imaginem uniuersi*.

sustineri possit. Haec omnia administrantur summo labore, summa arte ab huius rei artificibus, sed euentus semper ex aliqua parte incertus, fortunae subiectus est.

Non equidem nego hanc potestatem fortunae, sed hanc ipsam alteram causam existimo, cur follem iure rotundum esse dicamus. Nempe Fortuna dea, quae in campo lusorio regnat, ipsa in globo stare semper putabatur et talem eam pictores describebant. Nostis fortasse e *Carminibus Buranis* illam Rotam Fortunae, qua indicatur nihil in orbe fixum et certum manere, sed, dum rota uoluatur, e rege fieri mendicum, e paupere diuitem, ex infirmo potentem. Nimirum eandem rotam siue globum fortunae habet pedifollium. Adspicite ea ipsa quae nuper in hoc certamine maximo facta sunt: Quot nationes paene inuictae iam post primos ludos superatae exspirauerunt: Anglia pedifollii inuentrix, Italia, Hispania, Lusitania nationes tot trophaeis superbae manus dederunt cateruis uicticibus, nuper etiam Francogallia deuicta est. Quid mirum? Rotundus est follis, seruat quidem suas leges ut mundus, incertus tamen idem errat fortunae arbitrio. Vt Iosephus Herberger etiam hoc suo iure dixerit: „Cur homines pedifollii ludos spectant? Quia exitum nesciunt.“ Si hodie in teleuisione Friderici Schiller *Latrones* („Räuber“) exhiberentur, omnes litterati praescirent Franciscum Moor se laqueo suspensurum; ergo pauci spectarent. Sed quia Brasiliae Germaniaeque lusores nunc demonstrantur, nos paene omnes oculis infixi id spectaculum intuebimur, quia in incerto exitu et ancipiti fortuna pauere, dubitare, sperare, etiam desperare liceat.

Sapientissime igitur ab illis inuentoribus ludi institutum est, ut ab uno hoc ludo secus atque ab aliis manus et brachia arceantur, ut folli adhiberi non debeant. Nam scitis uni ianitori, qui quasi domum custodit suam, usum manuum esse concessum, dummodo in suo uestibulo⁴ uersetur: ceteri omnes ad pedes reuocantur, nisi quod rarius etiam capite follem pulsare permittitur (quo modo Hummels nuper felici uertice iam bis metam superauit). Si quis autem manu attigit, grauissime punitur iactu libero aut etiam poenali nec raro ei chartula flaua aut etiam rubra obiectatur. Quae lex nimirum ea causa data est, ut follis numquam firmiter retineri possit, possessio eius semper ex aliqua parte incerta maneat. Conantur quidem ei qui unius gregis (siue cateruae) membra sunt follem inter se retinere aut in transversum pulsando aut etiam retrorsus iactando; sed simul atque impetum in aduersarios facere coeperunt, quam facile tum ille amittitur! Regnat nempe Fortuna. Ergo sic quoque pedifollium imaginem praebet omnis humanae uitae, quare is ludus iure laudatur.

Aliud quoque aperiam quod magis mysticum est: de numero lusorum. Vnum quemque gregem esse scitis undenorum lusorum, quorum unus est ianitor, ceteri fere aut defensores aut oppugnatores aut medii. Videtur quidem is numerus undecim uirorum satis obliquus aut profanus esse. An subtrahamus ianitorem, ut sint decem? Nam decem leges Moses tulit, decem tabulis etiam Romanorum primae leges perscriptae erant. Minime. Addendus est unus ille, qui maximi momenti est plusque paene ualet quam omnes qui in campo sunt. Dico eum, quem nunc quidam uocant *exercitorem* aut *exercitorem* („Trainer“), Romani potius appellauissent *lanistam*,⁵ cuius munus apud Germanos nunc feliciter explet Ioachimus Loew Badensis, apud Brasilianos Ludouicus Philippus Scolari. Hunc unum lanistam si adieceris illis undecim, numerus efficietur sanctissimus: erunt enim duodecim, qui est numerus diuorum apostolorum, mensium quoque, quibus, ut Deo uisum est, annus completur.

Sed hoc si uobis nimis arcanum uidetur, dicam tandem pauca de moralibus, quae magis in promptu sunt. Vix enim quicquam aptius puto ad mores emendandos quam pedifollii ludum. Nam quis neget hominem eo differre a bestiis brutis quod sit animal rationale et sociale. Ac non necesse est dicere quantopere pedifollii ludo sensus societatis et humanitatis augeatur,

⁴ Displicet *area portaria*, quam ei malunt, qui *portam* pro *ianua*, *portarium* pro *ianitore* dicunt. Utendum censeo eis potissimum uerbis, si fieri possit, quae Romanis ipsis in usu erant.

⁵ Vox inde a Ciceronis primis orationibus legitur ad designandum eum, qui familiam gladiatorum habet, alit, praesertim docet (similis ei, qui in ludis scaenicis dominus gregis, sc. histrionum, dicitur).

cum in eo posita sit uictoria, ut nemo suae gloriae studeat, quisque semper suorum negligens communibus commodis seruiat. Hoc igitur omitto. Dico aliquid de rationali parte hominis. Quae enim est uis ista rationis? Eam esse putamus, ut homo cupiditatibus et affectibus non succumbat, sed ratione eas superet. Quam saepe id necesse est in pedifollio? Aduersario contigit, ut follem in ianuam nostram immitteret, metam in solo inscriptam traiceret. Eheu, uinci uidemur (ut nuper aduersus Ghanaenses). Nunc boni lusoris est nec desperare nec lamentari aut furere, sed fortunae fortiter resistere, ut Vergilius ait: *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito*. Ratio, quae desperare uetat, etiam hoc uincet: aderit aliquis Klose qui hoc damnum sarciat. Item si quis, ut persaepe fit, ictu calcis aduersarii in crure aut femore laesus est, siue id casu siue malis artibus⁶ factum uidetur, minime ei irascendum est, minus etiam ad ultionem accedendum, sed patientia hunc quoque dolorem uinci oportet. Sic, ut breuissime dicam, pedifollium maximarum uirtum schola et gymnasium uidetur.

Sed utcumque hoc est, clamate mox mecum: *Vince, Germania!*

⁶ Sic reddendum puto „foul play“; sed possis etiam dicere *iniuriam* (ut mihi proposuit Ioannes Isépy). Alii alia.